

ACTA TRIBUNALIUM

SUPREMUM TRIBUNAL SIGNATURAE APOSTOLICAE

Sectio Altera

DECISIO

[CIRCA PIARUM VOLUNTATUM ADIMPLETIONEM] (*)

[*Omissis*]

FACTI ADUMBRATIO

Die 29 ianuarii 1962 Rev.mus M. publico Notarii instrumento donavit Provinciae Italicae Congregationis BSSF suum praedium cum inaedificatis aedibus (...), ut ibi opera puellis instituendis excitarentur.

Quod cum primo acceptavisset Provincia praedicta, videns postea se non posse finem a donante statutum attingere, consentiente Rev.mo M., donationi renuntiavit idemque praedium, eodem cum scopo, Provinciae Italicae Congregationis Sororum SSS donavit. In actu publico diei 11 martii 1972, a Congregatione donante et a Congregatione acceptante necnon a Rev.mo M. subscripto, legatum continebatur in favorem Rev.mi M., cui ab acceptantibus Sororibus usque ad mortem assistendum fuisset.

Tres Sorores e Congregatione Sororum SSS (...), operam suam impenderunt variis in dioecesis locis et, ut quidem perhibent, egregie, sed reapse nil operibus excitandis a Rev.mo M. intentis fecerunt adeo ut ipse Rev.mus M. bonorum retrocessio-

(*) SCRIS: Prot. n. 1781/79. SIGN. APOST.: Prot. n. 11.876/79 C.A. - In transcribenda sententia sive decisione Supremi Tribunalis, omittimus nomina locorum, personarum ac Institutorum; hoc quidem rectae quaestionis intellectioni nullatenus nocet.

nem petierit: quod Congregatio libenter acceptavit et praedium liberum reliquit ipsis aedium clavibus Rev.mo M. restituitis.

Die 10 iulii 1978 Rev.mus M. praedium donandum constituit Congregationi Patrum Sancti J., et Congregationem Sororum SSS invitavit ad donationem illi Instituto, iisdem cum clausulis, faciendam. At Antistita Generalis significavit « opportunus » sibi videri retrocessionem fieri ipsi Rev.mo M., quippe qui « primus donator » esset, qui postea esset de sua re, prouti ipsi libuerit, statuturus. Acceptavit Rev.mus M. arcessivitque Patres Congregationis Sancti J. qui in aedibus habitarent eique, in prima contiguatione aedium habitanti, adsisterent. Quod revera factum est.

Cunctantibus autem Sororibus SSS ut retrocessio iuxta promissa per instrumentum publicum perficeretur, institit Rev.mus M. Denique per litteras die 29 octobris 1978 datas ipsi Rev.mo M., Antistita Regionalis Congregationis Sororum SSS formaliter nuntiavit proprietatem praedii Rev.mo M. « primo donanti » translatum iri, et coram Notario C., qui ad conficiendum publicum instrumentum vocatus fuerat, nomine suae Congregationis, religiosam quandam adstituram fore.

Re vera Notarius C., a Rev.mo M. vocatus, instrumentum praeparabat, rogandum quidem die 18 septembris 1978, sive ad cessionem faciendam bonorum Rev.mo M. sive ad donationem eorundem bonorum constabiliendam in favorem Congregationis PP. Sancti J.

Sed die 8 novembris 1978 Rev.mus M., thrombosi de repente affectus, in nosocomium transferri debuit: die autem 12 eiusdem mensis et anni Antistita Congregationis Sororum SSS communicavit religiosam quoque mulierem, quae instrumento coram Notario redigendo electa fuerat, in morbum incidisse: attamen, ubi convaluisset, Notarium, instrumenti conficiendi causa, iuxta promissa esse adituram.

Paucis post diebus, die 19 novembris 1978, Rev.mus M. e visis ereptus est eiusque exsequias usque ad trigesimum persolverunt Patres Congregationis Sancti J., qui ei infirmo usque ad mortem affuerunt humaniter. Paulo post obiit quoque Soror electa ad publicum instrumentum subscribendum.

Post mortem Rev.mi M., Antistita Regionalis Congregationis Sororum SSS manifestavit Patribus Congregationis Sancti J.

eos posse iam de praedio Rev.mi M. disponere, iuxta eius voluntatem. Et revera Patres, acceptis iterum clavibus, quas unus ex ipsis, is nempe qui Rev.mum M. in nosocomium receptum custodiebat, sorori SSS illas petenti dederat, in possessione praedii continuaverunt.

Sed ecce die 19 martii 1979, festo S. Ioseph, eadem Antistita Generalis contendens suam Congregationem iam posse opera illa excitare, a Rev.mo M. intenta, quae antea nequiverat, proprietatem praedii et aedium suae Congregationi vindicavit, quae — dicebatur — eidem contigerat per legitimam donationem a Congregatione BSSF factam.

Obstiterunt Patres Congregationis Sancti J., at cum Congregatio Sororum SSS in proprietate sibi vindicanda insisteret, res a Congregatione PP. Sancti J. delata est ad S. Congregationem pro Religiosis et Institutis Saecularibus, quae per decretum diei 28 novembris 1979 statuit Religiosas Congregationis Sororum SSS redintegrandas esse pleno iure in proprietatem, facta obligatione Congregationi PP. Sancti J. restituendi claves aedium.

Patres Congregationis Sancti J. claves restituerunt at die 29 decembris 1979 recursum interposuerunt ad Sectionem Alteram Huius Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, quod in Congressu diei 17 februarii 1981 recursum ad disceptationem admisit.

Est nunc rite concordato dubio respondendum: « An constet de illegitimitate vel in procedendo vel in decernendo relate ad actum S. Congregationis pro Religiosis et Institutis Saecularibus diei 28 novembris 1979, prot. n. 1781/79 ».

IN IURE ET IN FACTO

Decreverunt Patres totam controversiam huic causae subiectam dirimendam esse ex can. 1513, qui ita recitat: « § 1 - Qui ex iure naturae et ecclesiastico libere valet de suis bonis statuere, potest ad causas pias, sive per actum inter vivos sive per actum mortis causa, bona relinquere. § 2 - In ultimis voluntatibus in bonum Ecclesiae serventur, si fieri possit, sollemnitates iuris civilis; hae si omissae fuerint, heredes moneantur ut testatoris voluntatem adimpleant ».

Cum aliqua disceptatio exorta esset inter commentatores

circa valorem verbi *moneantur*, Commissio Codicis Interpres die 17 februarii 1930 edixit illud verbum, *praeceptivum* sensum habere (A.A.S., XXII, 1930, 196).

Commentatur igitur Wernz-Vidal: « Ius ecclesiasticum ad validas donationes et testamenta aliosque actus ultimae voluntatis pro causis piis nullam specialem requirit sollemnitatem, sed sola contentum est disponentis voluntate clare expressa et certo modo probata » (*Ius canonicum*, IV, 2, Romae, 1935, p. 275).

Porro in re nostra, cum certitudine constat Congregationem Sororum SSS, libere et definitivo modo renuntiasset donationi sibi factae a Congregatione BSSF. Scribit profecto Antistita Generalis die 26 iunii 1978: « Avec le consentement du Conseil général je viens vous dire que nous renonçons à la donation que vous nous aviez faite dès le début de mon généralat et que nous avons acceptée uniquement pour vous rendre service. Notre renoncement à cette donation est tout à fait libre et vous nous direz si nous faire une démarche officielle ». Et revera Sorores SSS ineunte mense septembri 1978 praedium et aedes ..., definitive abeuntes, libera reliquerunt.

Constat pariter ex actis Rev.mum M., in cuius favorem utpote primi donantis facta erat renuntiatio, die 10 iulii 1978 renuntiationem acceptavisse, ideo dominum iure naturae factum esse omnium bonorum quibus Sorores SSS renuntiaverant.

Constat insuper de voluntate Rev.mi M. donandi praedium a Sororibus relictum Congregationi Sancti J., cuius Patribus reapse idem Rev.mus M. claves aedium tradidit, in quibus et ipse incolebat, eos in possessionem praedii, immittendo.

Constat denique de mandato dato notario C. ut omnia haec civilibus quoque sollemnitatibus perficerentur. Hic enim ait: « Nel novembre 1978 ricevetti l'incarico dal compianto Mons. M. di predisporre un atto di retrocessione del terreno sito in agro CCB (...) e sovrastante fabbricato, da potere « della "Casa di Procura dell'Istituto delle Suore SSS" (...) — che ne era proprietaria in vigor di Donazione rogata dal Notaio C. (...) in data 11.3.1972 — a favore di Mons. M. e quindi un atto, dello stesso immobile, da Mons. M. a favore della Casa Generalizia PP. Sancti J. ... e che detto atto, fissato per sabato 18 novembre 1978, non venne più stipulato per il sopraggiunto impedimento dovuto alla improvvisa malattia di Mons. M. e la mancata comparizione

della designata legale rappresentante della Casa di Procura dell'Istituto delle Suore SSS ».

Ipse Episcopus N. (...), per litteras diei 9 martii 1979, declaravit propositum Revmi M., libere a Congregatione Sororum SSS acceptatum, fuisse ut donatio in favorem Congregationis PP. Sancti J. fieret.

Neque obtrudas Patrem religiosum Congregationis PP. Sancti J. qui Rev.mo M. infirmo aderat, post huius in nosocomium receptionem, tradidisse claves aedium religiosae Congregationis SSS enixe eas petenti. Est enim res facti et non iuris, nam neque Pater ille ius disponendi habebat, neque Soror ius petendi et retinendi.

Caeterum post mortem Rev.mi M., Antistita Congregationis Sororum SSS claves Patribus Congregationis Sancti J. iterum tradidit.

Pro certo itaque Patres habuerunt, usque ad mortem Rev.mum M. dominum suorum bonorum, bona sua (...) Congregationis Sancti J. in pias causas, consentientibus Sororibus SSS, quae per spontaneam retrocessionem suis iuribus decesserant, rite donasse.

Cum sollemnitates ad haec firmanda canonice necessariae non requirantur, satis patet S. Congregationem pro Religiosis et Institutis Saecularibus in suo decreto canonicam legem neglexisse.

Praecipiente autem can. 1513, § 2, monenda est Congregatio Sororum SSS ut iuxta expressam donantis mentem donatio civilibus quoque sollemnitatibus ornetur.

Quibus omnibus, tum in iure tum in facto mature perpensis, Collegium Em.morum Patrum Cardinalium, pro Tribunali sedens ac solum Deum prae oculis habens, Christi nomine invocato, circa propositum dubium respondendum censuit, uti respondet:

« Affirmative, seu constat de illegitimitate sive in procedendo sive in decernendo relate ad actum S. Congregationis pro Religiosis et Institutis Saecularibus diei 28 novembris 1979, prot. n. 1781/79 ».

(...)

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 26 februarii 1982.